Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8377
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

ut quia ipsi implicati assi-
due negotiis secularibus non
possunt intendere divinis
ipsi et ministri eorum vices
eorum supplerent in canonica-
libus horis || Utrum clerici qui
tenentur horas canonicas
dicere teneantur eas dicere devote
Unde devotio potest tripliciter
intelligi Uno modo suavitas
mentis elevate in deum
per cogitationem et ferventem
delectationem et hanc generat
caritas vel donum sapientie et est
rara Alio modo dicitur actualis
relatio boni operis in deum ut
cum quis faciens aliquid bonum
considerat quod illud faciat propter
deum 3o dicitur habitualis re-
latio in deum ut cum quis non
cogitans de deo facit aliquid
bonum requisitus tamen quare hoc
faceret diceret quod propter deum || Prima
devotio est perfectionis 2a est con-
gruitatis 3a est necessitatis
Unde qui tenentur horas dicere
tenentur eas dicere devote saltem
loquendo de tertia devotione Sic
intelligi potest illud c. Dolentes
ibi devote Utrum debeant dicere
horas attente Dicendum quod sic quod
ut melius possint facere de-
bent eas dicendo ab omnibus
aliis vacare nisi necessitas ali-
qua cogat tamen licet diceret verba
sine intentione ex sola desidia

per negligentiam peccaret non tamen
mortaliter peccat quia iste
modus orandi est tantum ex iure
positivo scilicet ecclesie quod non obli-
gat nisi ad ea que sub iudi-
cio humano cadere possunt et hoc
sunt actus exteriores Ad hoc
valent supradicta in 6o lib-
ro de oratione ar. 2 q. 3 Utrum
de necessitate orationis sit quod sit
attenta || Utrum sint dicende
hore singule sigillatim sin-
gulis horis Dicendum Henricus de
Gand. quod sic nisi causa rationalis
subsit Unde Innocentius de occupatione
dicit Idem consilium est quod simul
dicant horas omnes et hoc ob-
servat papa et Cardinales qui
dictis horis sunt intra ne-
gotia expedire et melius est
prevenire quam preveniri Nec
sic intelligendum est hoc scilicet
quod dicat etiam completorium in ma-
ne scilicet horas simul usque ad
vesperas Vesperas autem et completorium
ante cenam Si igitur magna ne-
cessitas non urget dicendum
est matutinum sigillatim de
nocte et maxime in hyeme
vel saltem in mane ante primam
|| Quid de infirmis dicit
Innocentius super c. Dolentes Idem
infirmi excusantur a deo scilicet
probabiliter videtur eis obesse
et etiam obaudiendo scilicet non
habent qui dicant in presentia